



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CXLVII. De Censuris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

32. *Quar.* An Presbyter Græcus, si ejus prima uxor moriatur, validè contrahat secundum matrimonium cum alia? *Resp.* Validè contrahere, quia Presbyteri Græci non foveant continentiam: At quia bigamus evadit, esse suspensum ab officio. Ita Arcudius ubi supra penes Tamburin. d. §. 2. num. 9. ubi advertit, eundem graviter peccare; quia prohibitum est Græcis ad secundas nuptias transire, ut doctè probat Abbas Papadopolis in *Prænotion. Mystagogic. Resp. 2. sect. 2.*

33. *Quar.* Quid faciendum, si mulier detlicentiam viro suo suscipiendi Sacros Ordines; sed illis susceptis, repetat ipsum ad periculum incontinentiæ effugiendum? *Resp.* Esse tandem illi restituendum, sed remanebit suspensus ab altare; quia uxor non voverat castitatem; Idcirco uxori nunquam sunt ordinandi, nisi prius uxores proficeantur in Religione, vel votum emittant castitatis. *dict. Extrav. Antiqua, de Voto. Tambur. d. §. 2. num. 11. & 12.* Idemque est, si vir promovendus sit ad Cardinalatum; at si de Episcopatu conferendo agatur, debet omnino uxor in Religione profiteri.

34. *Quar.* Si quis creditus impotens ad matrimonium fuerit ab uxore segregatus, & in Religione professus, at deinde cognoscat se potentem ad matrimonium consummandum, poteritne ad uxorem redire? *Resp.* Affirmative secundum ea, quæ late prosequitur Diana part. 11. tract. 5. ref. 9.

35. *Quar.* An Episcopus possit prohibere, ne matrimonium contrahatur domi? Negative respondit Barbosa. *alleg. 32. num. 18. Reginald. tom. 3. lib. 31. cap. 33. num. 242.* & ita respondisse S. Congreg. testatur Rebellus part. 2. lib. 2. qu. 7. sect. 2. num. 11. quem refert Summa Diana. *Verb. Matrimonium quo ad alia num. 42.* ubi tamen advertit, plures Synodales Constitutiones prohibere celebrationem Matrimonii in domibus privatis absque urgenti causa ob reverentiam Sacramenti, & ita servatur hic Patavii; & ita statuit S. Carolus Borrom. *Eccles. Mediolan. part. 1. Concil. Prov. 2. tit. 1. Decr. 28.*

CAPUT CXLVII.

De Censuris.

1. *Quar.* Quid significet hoc vocabulum *Censura*? *Resp.* Generaliter sumptum hoc vocabulum significare iudicium de aliqua re, an sit digna laude, vel vituperatione, & hoc pacto revisores librorum appellantur Censores; & apud Romanos constituti erant Censores, quorum munus erat indagare de moribus populi, ne indigni admitterentur ad honores; & in Republica Veneta Censores creantur, qui observent, utrum Leges, quibus ipsa regitur, ab aliquo offendantur. Specialiter autem sumpta hæc vox *Censura* indicat aliquam poenam correctivam, & medicinalem pro aliqua gravi transgressionem. Navar. in *Summ. cap. 27.*

2. *Quar.* Quid sit *Censura Ecclesiastica*? *Resp.* Quod est poena spiritualis, & medicinalis, privans usu aliquorum spiritualium bonorum, imposita Doct. Clericali *Tom. II. Lib. VII.*

ra per Ecclesiæ potestatem, ut fidelis baptizatus à contumacia discedat, & à culpa, propter quam infligitur, emendetur. Dicitur *Pœna*, id est punitio spiritualis, ad differentiam punctionum corporaliū. *Medicinalis*, quia mens Ecclesiæ est mederi animabus per censuras, *cap. 1. de Sent. Excom. in 6.* Dicitur *Privans* usu aliquorum spiritualium bonorum, qualia sunt Sacramenta, Sacrificia, Orationes; non autem supernaturalium; qualia sunt Fides, Spes, Charitas, Character. Dicitur, *Per Ecclesiæ potestatem imposita*, quia hæc potestas relicta est à Christo Ecclesiæ suæ ad bonum regimen animarum eminenter in Papa in universo Orbe, & adversus quoscunque: dependenter autem à Papa in Episcopis, ac aliis inferioribus Prælati, ut probavi de *Pœnitentia Decis. 19. à n. 22. & seqq.* ubi differui de Clavibus Ecclesiæ pro foro externo. Dicitur *ut fidelis baptizatus à contumacia discedat*, quia non baptizati minimè possunt censuris puniri, sed tantum fideles; & ad hunc finem, ut emendentur. Dicitur à culpa, propter quam infligitur. Quia censura non est ferenda nisi ob culpam, & culpam gravem, *cap. Nullus, 15. qu. 3. cap. Sacro. De Sent. Excom.*

3. *Quar.* Quomodo probetur, esse in Ecclesiæ potestatem ferendi Censuras? *Resp.* Ex verbis Christi *Matth. 18.* dicentis Petro: *Si peccaverit in te frater tuus &c. Et si non audierit, dic Ecclesiæ. Si Ecclesiæ non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus. Amen dico vobis: Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo,* quæ verba intelliguntur non de foro interiori, sed externo per censuras, *cap. Solita, de Major. & Obed. S. Thom. 3. p. 2. q. 1. art. 2. Scot. in 4. dist. 19. §. De quinto.* Et ideo auctoritas pro foro pœnitentiali vocatur Clavis, quia cælum aperit, vel claudit; sed pro foro exteriori dicitur gladius, quia corrigit. *Mastrius in Theol. Mor. disp. 13. n. 4. & 5.* ubi probat, etiam ab Apostolis fulminatas esse censuras, easque fulminandi auctoritatem esse de jure divino, *cap. 31. 11. q. 3. Extravag. Unam Sanctam, de Major. & Obed. & dict. mea Decis. 19. de Pœnit.*

4. *Quar.* Quotuplex sit Ecclesiastica Censura? *Resp.* Est triplex. Excommunicatio, suspensio, & Interdictum, & hoc habetur in *cap. Quarenti, de Verbor. significat & cap. 1. cap. Statutum, de Sentent. Excom. in 6.*

5. *Quar.* An sit alia divisio Censuræ? *Resp.* Affirmative, nam censura alia est a jure, & alia ab homine. Alia est comminatoria, & alia lata sententiæ: prima non incurritur, nisi lata sententiæ: hæc autem ipso jure, vel ipso facto. Rursus censura alia est justa, alia est injusta; & talis dicitur, si iudex non sit competens, vel non procedat servato juris ordine. Item censura alia est valida, alia est invalida; & hæc illa est, quæ fertur vel a non habente legitimam auctoritatem, vel absque justa causa, vel nulla præmissa monitione, DD. quos citat *Mastrius in citat. Disput. 13. num. 8. in fine.*

6. *Quar.* Quis possit fulminare censuras? *Resp.* Ille, qui habet Ecclesiasticam potestatem Ordinariam, vel Delegatam. *Mastrius d. disp. 13. num. 9.*

Mm

7. *Quar.*

7. *Quar.* Qui sint illi, in quibus est potestas Ecclesiastica Ordinaria? *Resp.* Papa in universo Orbe. Deinde Concilia generalia, & Provincialia. *cap. Grave nimis. de Prabend. Cardinales in Ecclesiis suorum titularum. cap. unio. de Majorit. in 6. Legatus à latere Summi Pontificis. cap. Legatus de Offic. Leg. in 6. Archiepiscopi, Patriarchæ, & Episcopi, ac alii Prælati territorium cum jurisdictione quasi Episcopali habentes respectu suorum subditorum. cap. Ad reprimendam, cap. cum Episcopus, de Offic. Ordin. in 6. Concil. Trident. sess. 6. cap. 3. & sess. 14. cap. 4. de Ref. Vicarius Episcopi vel Archiepiscopi. cap. Licet. de Offic. Vicar. Capitulum Sede Episcopali vacante, sive Vicarius Capitularis. d. cap. Unico. de Majorit. in 6. Concil. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 16. & tandem Superiores Religionum. cap. Cum in ecclesiis. eod. tit. de Prabend.*

8. *Quar.* An Parochi possint ferre censuras in suos Parochianos? *Resp.* Negative, quia non habent jurisdictionem in foro exteriori, sed tantum in foro Pœnitentia. Glossa in cap. Nemo. 2. q. 1. Nisi consuetudo hanc jurisdictionem ipsis concessisset. Abb. in cap. 3. num. 10. de Offic. Ordin. Maius in dict. disp. 13. num. 11.

9. *Quar.* Quibus possit delegari facultas ferendi censuras? *Resp.* Homini Christiano baptizato, & Clerico. Hinc incapaces sunt huius facultatis Angeli, & Beati, quia Ecclesia militans regi debet à ministris visibilibus. Item non baptizati. *cap. 1. & cap. 3. de Presbytero non baptiz. ministrante. Neque scemina. cap. Dilecta 12. de Major. & obed. cap. de Monialibus. De Sent. excommunic. Neque Laici, qui non habeant saltem primam Tonsuram. cap. in nona 16. q. 7. & sint coelibes; nam Clerici conjugati non sunt capaces huius facultatis. cap. Sane. de Clericis conjug. Et hi omnes casus intelligendi sunt itante prohibitione juris communis canonici. Ideo si Papa suprema sua auctoritate delegaret dictam facultatem cuivis ex supradictis personis, idest scemina, laico, clerico conjugato, & viro non baptizato. posset ferre censuras. Maius DD. allegans d. cap. 13. num. 12.*

10. *Quar.* An habens facultatem delegatam ferendi censuras, possit eam alii subdelegare? *Resp.* Negative, *cap. ult. de Offic. Delegati.*

11. *Quar.* An si moriatur delegans, possit delegatus ferre censuras? *Resp.* Negative, si causa nondum sit inchoata. *cap. Licet. cap. Relatum, & cap. ult. de Offic. deleg. Secus si causa fuit inchoata, quia tunc fuit firmata jurisdictione.*

12. *Quar.* An Superiores excommunicati, vel suspensi possint ferre censuras in subditos? *Resp.* Negative, maxime si non sint tolerati; qui neque delegare aliis possunt. *cap. Ad probandum. de Sent. & re jud. Maius dict. disput. 13. num. 13.*

13. *Quar.* An valeat censura vi, metuve extorta. *Resp.* Affirmative. Abb. in cap. 2. De iis, qua vi, metuve causa sunt. Et si absolutio nem à censura vi extortam non valere deci-

sum sit in cap. Unico. De his, qua vi, &c. quia ille est casus specialis, & exceptio in uno casu firmat Regulam in contrario.

14. *Quar.* Quæ sint necessaria ad validitatem censuræ? *Resp.* Quod præcedat trina monitio, nisi urgens necessitas aliud suadeat. *cap. Sacro. de Sent. excommun. cap. Statutum. eod. tit. in 6. intelligendo de censura ferenda ab homine; quia illa, quæ est à jure, non requirit monitionem. Item quod feratur in scriptis cum expressione nominis illius, qui censuram fert; & nominis illius, contra quem fertur, & expressione causæ, ob quam fertur. Ideo qui omisit his duobus requisitis fulminat censuram, peccat mortaliter, & censura est invalida. *cap. in causis. De Sent. & Re judic. Maius dict. disp. 13. num. 15.**

15. *Quar.* Qui possint ligari censuris? *Resp.* Soli homines vivi baptizati, rationis, & doli capaces, & subditi illius, à quo censura feruntur. Maius ibidem num. 16. Hinc bruti, homines mortui, non baptizati, pueri, amentes, & non subditi non possunt censuris feriri. Et licet locustæ aliquando dicantur excommunicari, intelligendum est, maledici, ut dixi de Sacrific. Missæ, Decis. 42. num. 39. & homines mortuos declarari incurrisse in censuram ante mortem; quemadmodum si ante mortem dederint signa pœnitentiæ, post mortem possunt absolvi, id est, absolutos declarari, ut sepulturæ Ecclesiasticæ tradantur. *cap. A nobis. 2. & cap. Sacris, & ibi Covarruvias. De Sentent. Excommunicat.*

16. *Quar.* An Communitas, vel Collegium possit censura ligari? *Resp.* Cum distinctione. Interdicto, & suspensione potest, *cap. de Sede vacante. de Sent. Excom. in 6. Secus autem excommunicatione. cap. Romana eod. tit. in 6. Maius dict. disp. 13. num. 18. ubi DD.*

17. *Quar.* An Episcopus possit censuris punire suum subditum delinquentem in alieno territorio? & non subditum delinquentem in territorio sui Episcopi? *Resp.* Quoad primum negative. Quoad secundum affirmative. *cap. 2. s. Statuto Episcoporum. De Constitut. in 6. cap. ult. De foro compet. Quod si subditus deliquisset in territorio proprii Episcopi, & postea fugisset, poterit à suo Episcopo censuris puniri. dict. cap. ult. De foro competenti. DD. apud Maius d. disp. 13. num. 19.*

18. *Quar.* An censura lata contra facientes comprehendat etiam mandantes, & consulentes? *Resp.* Negative, nisi proferatur verbis generalibus includentibus quoscunque cooperantes. Maius ibidem num. 20.

19. *Quar.* An revocato mandato, vel consilio, qui mandavit, vel consuluit opus sub censura prohibitum, incurrat censuram, si mandatarius, vel consultus opus illud committat? *Resp.* Negative secundum probabiliorem opinionem, de qua Diana par. 5. tract. 9. ref. 58. ea ratione, quia cum pœniteant, censentur non concurrere ad opus prohibitum. Secus tamen est quoad damna, & restitutionem, ut diximus supra cap. 131. quasi. 48.

20. *Quar.*

20. *Quar.* An quis possit pluribus censuris irretiri? *Resp.* Affirmativè, quando reiterat actus prohibitos sub poena censuræ; & ideo eget pluribus absolutionibus. *Mastrius d. disp. 13. num. 22.*

21. *Quar.* Ob quam causam infligenda sit censura? *Resp.* Ob peccatum mortale; & idcirco ubi non est mortale peccatum, ibi censura infligi non potest. *cap. Nemo Episcoporum. cap. Nullus Sacerdotum. 11. q. 3. Concil. Trid. sess. 23. cap. 3. de Res. Mastrius ibidem num. 23. subdens, quod dictum peccatum debet esse exterius; nam propter internum ferri non potest, quia Ecclesia non iudicat de occultis. cap. Erubescat. cap. Sicut tuis. De Simonia. cap. Christiana. 32. q. 5. Minor tamen excommunicatio, & levis suspensio potest infligi ob culpam venialem. Bonacina, Tolerus, & alii apud Mastrium d. disp. 13. num. 23. At excommunicatio major solummodò ob peccatum mortale, & ob contumaciam. Mastrius num. 67.*

22. *Quar.* An quis possit censura percuti pro delicto præterito, vel ob delictum non completum? *Resp.* Negativè, quia cùm requiratur præcedens monitio, vel opus completum, in neutro casu intrat causa censuræ. *Mastrius ibidem num. 24.*

23. *Quar.* Quæ causæ excusent ab incurrendis censuris? *Resp.* Quatuor sunt causæ principales excusantes à censuris. Prima est ignorantia invincibilis, tum juris tum facti habentis annexam censuram. *cap. Si verò. De Sent. Excommunic. cap. Secundo. eod. tit. in 6. Bonacina. De Censur. disp. 1. qu. 2. punct. 1. Secunda est impotentia faciendi id, quod sub poena censuræ faciendum præcipitur; si illa sit physica, siue moralis tantum. Unde qui non potest restituere rem alienam, non incurrit censuram latam contra detentores rei alienæ. Et qui ob metum gravem cogitur facere aliquod prohibitum sub censura, non incurrit censuram. Bonacina d. q. 2. punct. 3. Mastrius d. disp. 13. num. 27. Tertia est appellatio legitime interposita ad Superiorem à comminatione censuræ indictæ per inferiorem, antequam tamen ea incuratur. *cap. Si à Iudice 10. De Appellat. in 6. Mastrius ubi supra num. 28. Quarta est voluntas ejus, in cujus favorem lata est censura. Idcirco si creditor faciat suspendere à divinis Clericum debitorem, nisi intra sex menses debitum solvat, si creditor prorogaverit dictum terminum, Clericus non erit suspensus. Mastrius d. disp. 13. num. 29.**

24. *Quar.* Quis possit absolvere à censuris? *Resp.* Cùm distinctione. Vel censura est à jure, & nemini reservata? & ab hac absolvere potest in foro exteriori Superior censurati; in foro interiori omnis Confessarius. *cap. Nuper. De Sentent. Excommunic. Vel est ab homine? & hæc absolvi non potest nisi ab eo, qui eam tulit, vel ab ejus Superiore, aut Successore, vel Delegato: excepto articulo mortis, in quo omnis Confessarius potest absolvere à quibuscunque censuris. Concil. Tridentin. sess. 14. cap. 7. sub conditione tamen, ut sic absolutus, si periculum mortis evadat, debeat comparere coram Superiore, & facere, quod sibi præscripserit. cap. Eos. De Sentent. Excommunic. in 6.*

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

25. *Quar.* An Episcopi possint absolvere ab omnibus censuris etiam reservatis Papæ? *Resp.* Affirmativè, si sint contractæ ex delicto occulto. Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. Exceptis tamen Censuris fulminatis in Bulla Cœnæ Domini, & illatis ob hæresim, Duelum, Simoniam realem, Violatam Clausuram Monialium ad malum finem; ac violatam Immunitatem Ecclesiasticam, quia etsi hæc delicta sint occulta, Episcopi non possunt ab eis absolvere, ut probavi de Penitentia decis. 45. à num. 5. Nisi irretitus censura ob seipsum, morbum, vel paupertatem non possit accedere ad Papam. *Mastrius d. disp. 13. num. 30. ubi alii DD. & ego dixi in d. decis. 45. num. 8.*

26. *Quar.* An qui est censura ligatus possit absolvi à peccatis? *Resp.* Negativè loquendo de excommunicatione, quia ab ea prius debet absolvi. *S. Thom. 3. part. q. 24. art. 2.*

27. *Quar.* An quis habens super se plures censuras possit absolvi ab una, & non ab alia? *Resp.* Affirmativè, ad differentiam peccatorum, quæ non possunt remitti dimidiatè, sed omnia simul. *Mastrius ibid. num. 31.*

28. *Quar.* Quæ sit forma absolvendi à censuris? *Resp.* Absolutio potest dari quibuscunque verbis denotantibus absolutionem: etsi in foro exteriori adhibenda sit forma præscripta in Rituali Romano. *Mastrius d. num. 31.*

29. *Quar.* Quæ requirantur in eo, qui debet absolvi à censura? *Resp.* Quod humiliter petat absolutionem, præstet debitam satisfactionem; & aliquando juret de non amplius committendo illo delicto. *cap. Ex tenore. 10. De Sent. Excom. Mastrius d. num. 31.*

CAPUT CXLVIII.

De Excommunicatione.

1. *Quar.* Quid sit Excommunicatio? *Resp.* Est Ecclesiastica Censura, qua homo Christianus bonis fidelium communibus privatur. Toletus in Sum. lib. 1. cap. 4. num. 1. ubi declarat, tria esse bona communia fidelium, quibus per Ecclesiæ potestatem Christianus privari potest, nempe exterior conversatio, Sacramentorum participatio, & orationes, suffragiaque Ecclesiæ. Vel secundum Scotum in 4. dist. 19. §. De quinto; definitur, quod sit Censura, qua quis ab Ecclesiastica communione fidelium separatur. Et habetur in c. Omnis Christianus 11. q. 3. Dicitur Censura tanquam genus, continet enim sub se etiam Suspensionem, & Interdictum; quæ sunt aliæ duæ censuræ; & tales dicuntur tanquam poenæ medicinales; dicitur Quia quis separatur ab Ecclesiastica communione fidelium; ad differentiam suspensionis, & interdicti, quæ privant hominem exercitio activo, vel passivo divinorum officiorum, non autem conversatione exteriori. Dicitur Ecclesiastica, quia non privat bonis omnibus spiritualibus, nempe gratia, charitate, & aliis virtutibus; sed tribus bonis prædictis, quæ subjacent directè potestati Ecclesiæ. *Mastrius d. disp. 13. in Theologia Morali num. 33.*

Mm 2

2. *Quar.*